



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **NNEVIENSIS*** NOVA DIOECESIS CONDITUR IN NIGERIA, NNEVIENSIS APPELLANDA Ministerium apostolicum summa diligentia, quod possumus, explicare contendimus, ut Domini salutaria verba ac praecepta omnia in terrarum orbe loca contingent. Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audita consentanea sententia, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus *Nneviensem* appellandam, quae territorium regionis civilis, vulgo Nnewi cum quattuor « Local Government Areas », scilicet « Nnewi North, Nnewi South, Ekwusigo et Ihiala », regione excepta vulgo « Uli », ab archidioecesi Onitshana seiungendum, complectetur. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Onitshanae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Nnewi vocatur, et ibidem templum Deo vocabulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis dicatum ad statum Cathedralis Ecclesiae attollimus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Osvaldum Padilla, Archiepiscopum titulo Piensem atque in Nigeria Apostolicum Nuntium, delegamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecelesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die nono mensis Novembris, anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

Secretarius Status

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 2, pp. 99-100 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana